



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 78. Decretum circa Quæstores examinatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.
A. C. 1562. prii instituti legibus compellerentur, ita
tamen, ut Episcopi hanc potestatem
duntaxat tanquam Sedis Apostolicæ
Delegati exercent.

§. LXXVIII.

*Decretum circa Quæstores exami-
natum.*

Pallav. n. 12. Denique Patres transibant ad duode-
cimum articulum, qui respiciebat
emendationem plurium corruptelarum,
quæ circa illos irrepserant, qui profite-
bantur munus promulgandi indulgen-
tias, aliasque Apostolicæ Sedis largi-
tiones ad pietatē spectantes, & colli-
gendi a populis eleemosynas, ut ex iis S.
Petri Basilica, variaque templa extrue-
rentur, atque alia pia opera conficeren-
tur: porro in hujusmodi hominum con-
ditionem complures Patrum acriter in-
vehebantur, dicentes: quod hi quæsto-
res hæresi Lutheranæ ansam præbue-
rint, ac innumerabiles eorum fraudes
& exquisitæ technæ essent, quibus a sim-
plici plebis pietate pecuniam emunge-
rent, ut omnino proinde aboleri oport-
eret professionem istam, quæ fidem a-
dimebat pietati, cum eam quasi nequi-
tiæ larvam assumeret. Verum non
decerant alii, qui huic sententiæ repu-
gnantes mitius sic responderent: „Tri-
„ticum eradicari non debet ex eo, quod
„ cum

„cum eo lolium admisceatur; nam quæ-
 „storum opera multis nosocomiis con-
 „salitur, aliisque piis locis, & con-
 „scientiæ plurimorum hominum rele-
 „vantur, quibus nimis grave foret Ro-
 „mam adire, ut a Pontifice absolvan-
 „tur: cum ergo in Conciliis Latera-
 „nensi, Viennensi, & Lugdunensi hæc
 „incommoda fuissent perspecta, illis
 „consultum est, coercito, non extincto
 „quæstorum munere. Ceterum Legati
 proposuerunt tanquam mediam viam,
 ut prohiberentur quæstores, promul-
 gare indulgentias, eleemosynas cor-
 radere, aut quidquam aliud exequi,
 si non Ordinarios, vel alius ab illo
 designatus comitaretur, ita tamen, ut
 hujusmodi sociis quæcunque lucri
 communicatio interdicaretur.

§. LXXIX.

*Legati contra quorundam Præsulum
 in loquendo temeritatem
 questi.*

Hac Congregatione finita, una omnes *Sarpinus*
 ad suas quisque ædes sese recepe-
 runt, exceptis Legatis, ac quibusdam
 Episcopis, qui dicta, atque hucusque
 gesta recolentes querebantur de auda-
 cia quorundam Præsulum cum immo-
 dica licentia altercantium, necnon de
 quibusdam Theologis, qui prolixis dis-
Hist. Eccles. Tom. XLV. L ser-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.